

tamen prima radix contingentia rerum est Dei voluntas.

EX 2. TITULO, QUI EST DE PRÆDESTINATIONE,
& LIBERO ARBITRIO.

100. Divina Providentiæ omnia esse subiecta, nihilque eam vel minimum effugere, non modo Divinæ luminis fidei, sed etiam humanis argumentis cognoscimus.

101. Est autem Providentiæ ratio ordinis rerum in finem, existens ab æterno in mente Divina quoad entitatem, & realitatem; in tempore autem, quoad effectus suos.

102. Deus ordinat res in suos fines creatos, non, ut fines sint causa Divinæ ordinationis; sed tantum ratio volitorum. Vult igitur Deus hoc propter illud, tanquam rationem hujus voliti, non tanquam causam suæ volitionis.

104. De ratione Providentiæ in communi, prout abstrahit a Divina, & humana, non est affectus finis. Divina tamen Providentiæ suam semper sortitur finem.

105. Quamvis, respectu causarum secundarum, multa casu, & fortuna contingant; respectu tamen Divinæ Providentiæ, nihil casu accidit.

111. Si Providentiæ sumatur pro ordine rerum in finem, Deus immediate omnibus providet.

113. Quatenus vero Providentiæ dicit executionem ordinis præmeditari, Deus non immediate omnibus providere dicitur; multa enim per secundas causas operari dicitur.

114. Cum tamen immediate Deus concurrat, immediate virtutis, & suppositi, ad omnes, & singulas operationes, quæ unquam contigerunt, aut contingunt.

124. Parvuli, qui in utero matris, vel antequam ad usum rationis pervenirent, moriuntur, nihil auxilii supernaturalis in se receperunt immediate.

125. Si dare sumatur pro proponere, vel invitare, Deus omnibus hominibus, usu rationis præditis, nemine profus excepto, dat auxilium sufficienti ad eorum salutem.

127. Si dare accipitur pro eo, cujus correlativum est accipere, ita ut sine hoc stare non possit; Deus non dedit omnibus hominibus, etiam venientibus ad usum rationis, auxilium supernaturale gratiæ, præparatis vel ad credendum, vel ad poenitentiam agendam.

128. Cum tamen Deus dicatur paratus dare omnibus hominibus, quando sunt in hac vita, auxilium, quo fiant potentes converti, & convertantur, si velint.

129. Deus ab æterno statuit, voluntate absoluta, seu consequente, non dare omnibus supernaturalia auxilia, videlicet eis, qui ea recepturi non sunt.

130. Causa primaria, & radicalis, cur aliquis convertatur, est Divinum beneplacitum, movens illum efficaciter, & suaviter. Causa autem proxima, cur aliquis non convertatur, est sua ipsius pertinacia.

131. Stante efficaci gratiæ auxilio in aliquo, is potest dissentire, si velit, non in sensu composito, sed diviso, libertate antecedenti, non consequenti.

133. Nulla causa, aut ratio, aut extrinsecum motivum reperiri potest, quod Deum moveat ad æternum actum prædestinationis.

134. Cum tamen, secundum intelligentiæ nostræ rationem, ratio prædestinationis videatur esse dilectio prædilatæ; dilectionis autem immensa Dei bonitas, & misericordia.

137. Neque vero merita, effectum prædestina-

tionis consequentia, qualia sunt bona opera nostra in gratia, sunt causa prædestinationis. Siquidem non essent, nisi prædestinatio præcessisset, quæ reddat salutem prædestinatorum infallibilem, libertatem ipsorum non tollit.

141. Primus effectus prædestinationis, qui est vocatio congrua, sit efficiens a solo Deo, a nobis autem cooperantibus, & assentientibus Divinæ vocationi: Qui tamen assensus noster a Deo causatur.

145. Prædestinatio secundum totum suum esse, præsertim secundum proprium effectum, scilicet primam gratiam, non est in nostra potestate: Est tamen in nostra potestate, ut vocationi consensum præbeamus; idque non simpliciter in nostra potestate, sed supposita gratia efficaci.

146. In prædestinatiis justificatio est effectus prædestinationis, & bona opera, etiam per peccatum mortale mortificantur.

153. Hominibus est denegata gratia efficax ex demerito nostri capitis primi parentis; Angelis vero, qui perierunt, non illo ipsorum demerito, sed ex iusto Dei iudicio.

155. Deus multis parvulis dedit media, quibus salvati potuissent, nisi eorum parentes negligentes fuissent circa eorum salutem. His vero, qui in utero matris pereunt, Deus dedit auxilium sufficiens in primo parente.

162. Tantum abest, ut Divina prædestinatio tollat in prædestinatiis arbitrii libertatem, ut potius ipsam perficiat per gratiam, naturæ non destructivam, sed perfectivam.

EX TITULO DE GRATIA, JUSTIFICATIONE, & MERITO.

935. Credere totam Christi fidem, & doctrinam, assensu Christiano, & certo, ob eam causam, quia veritas prima revelavit, nemo potest, sine speciali auxilio gratiæ Dei.

936. Hæc peculiaris gratia, quæ requiritur ad Christiane credendum, necessaria est tum ex parte voluntatis, ut scilicet voluntas pie afficiatur erga res fidei; tum ex parte intellectus, ut eleveur ad cognitionem eorum, quæ nostræ naturæ captum superant.

937. Hæc gratia requiritur, non solum ut facilius, & firmiter credamus, sed ut simpliciter credamus: neque vero est solus generalis Dei concursus, sed dicitur auxilium speciale.

940. Omnia illa opera, quibus peccator tendit, & disponitur ad justificationem, sive mediate, sive immediate, non possunt fieri sine speciali auxilio gratiæ Dei.

954. Ad singulos actus supernaturales, etiam in homine iusto, requiritur auxilium speciale, ut ad credendum, sperandum, amandum Deum ex charitate. Omnes autem, meritorii vite æternæ, sunt supernaturales. Unde iusti ad singulos actus meritorios indigent auxilio speciali.

963. Ad gratiam, quæ est donum Dei, præparantis ad bonum, nulla prærequiritur dispositio, ex parte hominis, quasi prævenientis Divinum auxilium.

964. Homini facienti, quod in se est, ut præparet se ad gratiam, per actus fidei, spei, charitatis, & poenitentiae, Deus necessario necessitate infallibili, non coactionis, confert gratiam justificantem.

965. Homini facienti id, ad quod Deus mittit auxilium præveniens, quo excitatur, ut justificetur, non semper confertur gratia justificans. At vero omnis, qui facit, quod in se est, auxilio prævenienti, quod Deus ordinavit, intentione absoluta, ad gratiam justificantem, semper confertur gratiam justificantem.

E P I

III.

EPISTOLA

SACRÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ DUACENSIS

Ad Illustrissimum, ac Reverendissimum D. OCTAVIUM, Episcopum Calatinum, GREGORII XIV. ad partes Rheni, atque inferioris Germaniæ, & Belgarum Provinciarum, Nuntium Apostolicum.

ILLUSTRISSE, AC REV. DOMINE. (1)

EX Magnifico Domino Rectore Universitatis, ante non multos dies, intelleximus, Illustrissimam, & Reverendissimam Paternitatem Vestram dedisse ad ipsum Litteras, quibus, ad componendum motus, (ut in iis Litteris continebatur) inter Facultatem Theologicam, & Professores Societatis Jesu, exortos, ipsi injungit, ac mandat, ut Edictum, una cum iisdem Litteris missum, publicari curet. Quæ re intellecta, & tenore ejusdem Edicti, ab eodem Magnifico Domino Rectore, coram nobis, ad hoc specialiter vocatis, perlecti, vehementer admiratio, non sine ingenti dolore, nos cepit, quod tum ex Litteris, ad Magnificum Rectorem datis, tum ex ipso Edicto satis aperte colligeremus, Nos, sive Facultatem hanc Theologicam, apud Illustrissimam, ac Reverendissimam P. V., de quibusdam rebus fuisse graviter accusatam. Quæ conjectura nostra fuit eo probabilior, quod ante mensem missæ fuerunt ex Aula Bruxellensium Litteræ ad eundem Magnificum D. Rectorem, una cum Edicto priore Ill. ac Rev. P. V. quibus Litteris itidem, gravissimam reprehensionem Facultatis nostræ continentibus, mandatum fuit Rectori, ut idem illud Ill. ac Rev. P. V. Edictum curaret hic publicari, & observari. Quæ quidem ejusdem Edicti publicatio, non obstant eorum, quod ante triennium, aut circiter, idem Edictum, ab Ill. & Rev. P. V. ad Facultatem nostram missum, ab eadem Facultate legitime publicatum fuisse toti Universitati, constaret, tunc per Rectorem magna solemnitate facta est; idque, non tantum non contradicente nostra Facultate, verum etiam approbante, & desiderante, ut publicatio fieret; tamen non dubitaret, ex falsa narratione, & suggestione Mandatum hujusmodi ex Aula impetratum fuisse, eamque iteram Edicti publicationem, cum tacita sui accusatione, quasi alias officio suo, in Edicti publicatione, & observatione, defuisset, ac proinde cum nonnulla sui ignominia conjunctam esse.

Igitur post geminam publicationem prioris Edicti Illust. ac Rev. P. V., semel exsequente Facultate nostra, & iterum nuperime exsequente Rectore, & Facultate approbante, factam, nullo modo potuisset hujus posterioris Edicti, ab eadem Illust. & Rev. P. V. missi, publicatio nostræ Facultati (quæ, ut obedientiæ filia, semper ea, qua par est, observantia, & submissione, suscipit, quicquid a S. Sede Apostolica, ejusque Legatis, sive Nuntiis profectum est) vel omittenda, vel saltem ad tempus, donec ad Ill. & Rev. P. V. scripserit, differenda videri, nisi post seriam, cum timore Dei, deliberationem, gravissimæ rationes, quas hic subjicimus, ad ita sentiendum eam permovissent. Quocirca recte facturæ sibi videbatur, si a Magnifico Domino Rectore, in pleno Concilio Universitatis, peteret suspensionem publicationis novi Edicti, ab Illust. & Rev. P. V. ad se missi, allegatis, & sum-

Serry Tom. II.

(1) Ad Caput 5. Libri I. Hister. de Auxiliis.

matim expositis ad eam rem rationibus. Quibus auditis, toti Concilio Universitatis, nemine profus dissentiente, æquissima visa fuit Facultatis petitio. Cui proinde Facultatis Theologicæ petitioni ita demum annuit Magnificus D. Rector, si Facultas suam petitionem, scripto comprehensam, sibi traderet: quod & factum est. Et postea nobis confirmavit Magnificus D. Rector, se idem hoc scriptum suis Litteris, quas ad Ill. & Rev. P. V. dedit, adjunxisse.

Rationes igitur petitionis nostræ proferemus, si prius omni, quæ possumus, humilitate rogaverimus Ill. & Rev. P. V. ut & petitionem, quam rationabilis necessitas expressit, in bonam partem interpretari, & rationes ipsas patienter, & benigne audire, atque expendere dignetur, iisdemque expensis, novi sui Edicti promulgatione supercedere.

Est igitur petitionis nostræ prima, & præcipua ratio, quia, ut ex verbis Edicti posterioris, simulque ex Litteris Illustr. & Reverend. P. V. ad Magnificum Rectorem datis, ac præsertim ex Litteris, ex Aula ad eundem Rectorem missis, ac denique ex Epistola quadam Reverend. P. Olivieri Manarati, Societatis Jesu, in his partibus Provincialis, missa ad Reverend. D. Episcopum A-trebatensem, (cujus Epistolæ, ac prædictarum Litterarum Aulæ exempla, his adjuncta, transmittimus) satis intelligitur, multa de hac Facultate nostra, ejusque Magistris, tum apud Illustrissimam, & Reverendissimam P. V. tum apud primarios Aulæ Regiæ Viros, ad impetrandum utrumque Mandatum, seu Edictum, fuisse narrata, quæ a veritate profus sunt aliena; velut ista.

1. Quod prius Edictum Illustr. & Reverend. P. V. neque fuerat hic a Facultate Theologica publicatum, saltem eo modo, quo oportuit. Hoc enim Litteræ, ex Aula ad Rectorem data, non obscure significant: apertissime vero id habent Litteræ Patris Provincialis, in quibus nobis impingit gravissimum, & horribile crimen irreverentiæ, contemptus, atque inobedienciæ erga S. Sedem Apostolicam, & Illustr. & Reverend. P. V. Ita enim, inter alia, de Edicto loquitur ad Reverend. Episcopum: *At publicatum fuit, Reverendissime Pater: sed ea reverentia, atque observantia significatione, (quod horret mens cogitare) ut nulli, vel pauci loquerentur; affixum, inquam, fuit, non ut solent affigi, quæ in honore, & præcia sunt, nimirum in fronte Cathedræ Professoris Theologi, sed ab ejus tergo, ut non videretur.* Hæc ille, quem verisimile est, ad impetrandum, quæ vellent, eadem in Aula narrasse, & ad Illustr. & Reverend. P. V. eadem, vel similia scripsisse: quandoquidem tam in Litteris, ad Rectorem datis, quam in Edicto suo novo, Illustr. & Reverend. P. V., ita studiose moneat, ut affigatur loco publico in Scholis Theologicis, in loco sedis Theologorum, unde ab omnibus conspici, & legi possit, & certo diurno spatio affixum remaneat.

A a

neat.

neat: quasi hoc minus, circa prioris Edicti publicationem, a Facultate Theologica fuisse observatum.

2. Quod a nobis dubitatum fuerit, an idem Edictum Illustrissimæ, & Rev. P. V. nos, aut omnes Duacenses obliget.

3. Quod insuper a nobis dubitatum sit, an Edictum illud ab Illustr. & Reverend. P. V. fuerit profectum. Hæc enim etiam de nobis apud Illustr. & Reverend. P. V. fuisse relata, satis indicant verba, tam narrativa, quam dispositiva posterioris Edicti, & mandatum de publicatione prioris iteranda in Scholis publicis, id est, Facultatis nostræ; non autem in Collegio Patrum Societatis, aut in Scholis Professorum ejusdem, apud quos tamen hæcenus, quod nos scimus, & quidam satis mirantur, publicatum non fuit.

4. Quod idem Edictum Illustrissimæ, ac Reverendissimæ P. V. non fuerit a nobis observatum. Hoc enim nomine, in Litteris ex Aula ad Magnific. Rectorem datis, & ab eodem Rectore in pleno Universitatis concilio lectis, aperte notati sumus, non sine totius Facultatis nostræ infamiatione. Idemque nobis impingit R. P. Provincialis, duabus in Epistolis, ad Atrebatensem Episcopum datis; & simile quid ab Illustr. & Reverend. P. V. fuisse scriptum, satis apparet ex relatione trium superiorum. Si enim non fuit a nobis rite publicatum, si dubitatum de obligatione, immo & de Auctore, facile etiam fuit presumere, quod a nobis non observaretur.

5. Quod convitiis actum fuerit a nostris contra Professores Societatis. Tale quid enim de nobis apud Illustrissimam, & Reverendissimam P. V. fuisse relatum, apparet ex verbis Edicti posterioris, ubi præcipitur, in posterum a talibus abstinendum. Cum enim ad instantiam partium, impetratum fuerit ab Illustrissimæ, & Reverendissimæ P. V. novum Edictum, non est verisimile, talia de Professoribus Societatis, sed de nostræ Facultatis Magistris, apud eandem P. V. fuisse narrata, & exposita; præsertim cum, ut diximus, publice fieri jubeat, tum præcipue in Scholis nostræ Professionis: ita ut quisque legens Edictum cum ejusmodi prohibitione in tali loco, & non in Schola Professorum Societatis, affixum, non possit non suspicari, ab eisdem Scholæ Professoribus, non item ab aliis, peccatum hac in parte, & novæ prohibitionis occasionem dedisse.

Præter hæc autem, est & aliud quiddam, & quidem gravissimum, de quo nos accusatos scimus, non quidem apud Illustrissimam, & Reverendissimam P. V. ut cui certo contet, falsam esse hujusmodi criminationem, sed apud Aulicos nonnullos, quibus persuasum esse accepimus, quod doctrina Facultatis nostræ, qua parte ab ea diffident Professores Societatis, eadem illa sit, quam certis articulis comprehendit Sanctissimi Domini Pius V. & Gregorius XIII. suis Edictis reprobaverunt. Nam & privatim ejus rei significatio nobis ex Aula facta est, & serio a duobus Episcopis moniti sumus, ut, datis in Aulam Litteris, eam accusationem repelleremus: quod & factum a nobis est. Neque id sane difficile fuit, cum falsitas hujus criminis tum aliunde, tum ærteffime ex Edicto Illustrissimæ, ac Reverendissimæ P. V. demonstraretur, in quo dicitur, quod S. R. E. neutram partem damnavit, & prohibetur, ne quis alterius partis assertiones hæreticas, suspectas, offensivas, & periculosas esse, affirmare præsumat. Ex quo etiam intelligitur, quam parum obsequentes se præbeant mandatis S. Sedis Apostolicæ, atque Illustr. & Reverend. P. V. qui de doctrina Facultatis nostræ apud Aulicos, vel alios quoscumque, tam sinistre loquuntur. Sed, hac

omissa criminatione, breviter apud Illustriss. & Reverendiss. P. V. refellenda nobis sunt superiora.

Quod igitur ad primum atinet, jam triennium est, cum Illustrissimæ, & Reverendissimæ P. V. mitteret ad Facultatem nostram Edictum suum, una cum Litteris, quibus tamen non expressum mandatum P. V. de publicando Edicto, sed tantum voluntas, & desiderium continebatur. Quibus Litteris una cum Edicto acceptis, Facultas nullam moram interposuit faciendi id, quod pro reverentia, observantia, & obedientia, quam se debere S. Sedi Apostolicæ, omnibusque ejus ac Legatorum, seu Nuntiorum ejus mandatis, profiteretur, faciendum esse sciebat. Nam in Scholis Theologicis, proxima solemnium Disputatione, ad quam Magistri Facultatis ex more conveniunt, curavit Facultas, per Bidellum, eundemque Notarium suum Juratum, affigi Edictum loco maxime conspicuo, & undè ab omnibus commodissime legi posset, nimirum in ipsa fronte, seu anteriori parte Cathedralis Professoriæ, & Magistralis, parte ejus dextra. Fuit autem affixum tam accurate, & tenaciter, ut ibidem, mensibus aliquot, plane integrum, deinde, aliis aliquot mensibus fere usque ad annum completum, quasi integrum steterit, ita ut a quampulvis, ac pene ab omnibus, qui per id tempus Scholas frequentarunt, lectum fuerit. Quæ res etsi hic vulgo notissima est, eam nihilominus, pro certiori informatione Illustrissimæ, ac Reverendissimæ P. V., instrumento Notarii hujus Universitatis, quod una cum his mittimus, probandum Facultas curavit, adhibito testium numero, quantum ad clarissimam probationem abunde sufficiat: cum alioquin, si res ita postularet, probari posset tot testibus, quot eo tempore Schola nostra habuit auditores. Nam & notabiles reliquæ Edicti in ipso loco perdurant in hunc usque diem. Quæ cum evidentiore nota sunt, miramur supra modum, R. P. Provinciale adeo falsi potuisse (nam fallere voluisset, non dicimus) ut in Litteris suis, ad Ordinarium nostrum datis, de Edicto Illustrissimæ, ac Reverendissimæ P. V., indigne, ac contempnibiliter tractato, nos incurreret iis verbis, quæ supra posuimus.

Porro duo sequentia crimina, quibus gravati videmur apud Illustrissimam, & Reverendissimam P. V., æque sunt a veritate aliena. Nunquam enim a nobis dubitatum fuit, sicut nec dubitari debuit, an Edictum Illustrissimæ, ac Reverendissimæ P. V., post intimationem ejus, & promulgationem, hic factam, nos, aut omnino Duacenses obligaret: ac multo minus dubitari a nobis potuit, an idem Edictum ab Illustrissimæ, & Reverendissimæ P. V. emanasset; quandoquidem Litteras, ad eam rem ab Illustrissimæ, & Reverendissimæ P. V. ipsius manu signatas, & sigillo communitas, una cum Edicto, similiter sigillato, Facultas acceptat, quas & in arcam Facultatis repositas usque in presentem diem diligentissime custodit. At neque scimus, quidquam a Magistris Facultatis, vel ab uno aliquo eorum, dictum, aut factum fuisse, ex quo delatoribus suspicio nasci potuerit supradictæ dubitationis. Neque vero, ante visum novum Edictum Illustrissimæ, ac Reverendissimæ P. V., vel ipsi suspicari potuimus, aliquos esse, qui dubitationis crimen nobis adscriberent; nam eatenus certe fuit nobis inauditum.

Jam, quod ad quartum atinet, sincere declaramus Illustrissimæ, ac Reverendissimæ P. V., Edictum jam inde a die promulgationis huc usque fuisse ab omnibus, & singulis Facultatis Magistris, tanquam obedientia filiis, perquam dili-

genter, & sollicitè observatum. Neque omnino credimus, contrarium de quoquam Magistrorum probari posse; idemque vel ex eo satis liquet, quod de Edicti transgressione nihil profus Facultati objecerint Patres Rectores, & Professores Collegii Societatis Duacensis, quando inter ipsos, & Facultatis nostræ Deputatos habitum fuit super dissidio sopiendo colloquium, mense Februarii hujus anni, coram Reverendissimis Dominis, Tornacensi, & Atrebatensi; ubi tamen, tale quid obijcendi, si quid scirent, aut putarent, maxima erat occasio: præsertim cum ibidem nostri Deputati Professoribus Societatis hoc ipsum non tantum objecerint, verum & prolatis, & coram lectis eorum scriptis, probaverint, & convicerint. Quod ita esse, testari poterunt iidem Reverendissimi Domini, coram quibus colloquium illud habitum fuit. Sed neque disciplina Facultatis nostræ temeritatem ejusdem relinqueret incorrectam.

Quod idem de convitiis respondemus. Nihil enim tale scimus, nec probari posse, credimus, a nostris admittum. Possumus autem luculenter probare de parte adversa, uti & probavimus apud Reverendissimos Episcopos, & adhuc, si opus fuerit, apud Illustrissimam, ac Reverendissimam P. V., & quoscumque alios, probaturi sumus. Nam, quod publicis dictatis Professor eorum Theologus egerit nominatim contra quosdam de nostris, eujusmodi nihil vicissim in ipsam a nostris factum est, novurunt pene omnes Theologi studiosi, quorum multi dictata ipsa habent in manibus.

Satis ex his constare arbitramur, Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Domine, quam falso, atque immerito, de supradictis criminibus Theologica Facultas, ejujve Magistri fuerint, tum apud Proceres Aulae Regiæ, tum etiam apud Illustrissimam, & Reverendissimam P. V. accusati; quamvis persuasum habeamus, P. V. hujusmodi delationibus non facile solere, fidem adhibere. Quæ tamen effectisse videntur, primum, ut mandatum ex Aula, de publicando per Rectorem Universitatis Edicto, cum gravi, & injuncta Facultatis reprehensione veniret, deinde, ut etiam a V. Illustrissimæ, & Reverendissimæ P. novum Edictum, continens repetitionem prioris Edicti, mitteretur. Quod quidem prius Edictum, jam ante tres fere annos, a Facultate nostræ, & nuperrime a Rectore Universitatis publicatum, si nunc tertio publicetur, idque peculiariter in Schola Theologica, quæ est nostræ Facultatis, & cum ea narratione, quod a multis dubitetur, an ipsam liget Duacenses, & an vestrum sit Edictum, vehemens in animis plurimorum, & præsertim Theologiae studiorum, nostrorumque auditorum suspicio nascetur, & ex suspitione opinio, & ex opinione multiplex sermo, non ob aliud hanc tertiam publicationem Edicti fieri, quam quod a nobis, post unam, & alteram publicationem, non fuerit observatum, quodque a nobis dubitaretur, an nos obligaret, & an vestrum esset, non sine gravi Facultatis nostræ infamia, & discipulorum a Magistris suis, quos hæcenus innocentes noverunt, alienatione. Quod quam durum, ac molestum sit futurum Facultati nostræ, quantumque dispendii allarum studiosis, etiam nobis tacentibus, facile percipit Illustrissimæ, ac Reverendissimæ P. V., quam proinde humiliter in Christo rogamus, ut vel ob hanc causam Mandato suo de publicando novo Edicto superferere dignetur.

Verum, quia in eodem novo Illustrissimæ, ac Reverendissimæ P. V. Edicto continetur abolitio, seu irritatio pacti, sive amicabilis compositionis, quæ inter Facultatem Theologicam, & Patres

Serry Tom. II.

Societatis Jesu Collegii Duacensis intervenit, & facta est mense Februario, breviter apud Illustrissimam, & Reverendissimam P. V. exponenda sunt nobis rationes, ob quas & initum sit illud pactum, & in posterum videatur usu retinendum: ut, iis intellectis, Illustrissimæ, & Reverendissimæ P. V. æquitate, & prudentia de re tota judicet.

Prima ratio est, in ipso pacto expressa, & sumpta ex libro quodam, Romæ in Collegio Societatis Jesu impresso, anno 1586, cui titulus est: *Ratio, atque instructio studiorum per sex Patres, ad id, jussu R. P. Generalis, deputatos, conscripta*. In quo libro hæc est tertia Regula: *Que opiniones, consensumque auctoritatis sint, in aliqua Provincia, aut Civitate, multos aut nostrorum, aut exteriorum Catholicos, & non indoctos offendere, sciuntur, eas ibi nemo doceat, aut defendat, quamvis alibi sine offensione doceantur*. Huc utque Regula, cujus in pacto sit mentio. Neque enim pactum habet, inhibitionem fuisse factam alteri parti, ne de materiis, quæ sunt in controversia, doceat, uti perperam naratum fuisse Illustrissimæ P. V., ex verbis Edicti apparet; sed continet spontaneum consensum P. Rectoris, & Professoris Theologi, in hoc, ut, juxta regulam modo dictam, Patres Societatis Jesu, Duaci agentes, non doceant de supradictis materiis in hac Academia Duacensi contra doctrinam Facultatis Theologicæ, donec per Sedem Apostolicam &c. Huc etiam consensum ambo, subscriptis propria manu nominibus, testati sunt. Eadem autem regula visa fuit Reverendissimis Dominis adeo rationabilis, ut dicerent, etsi talis regula non existeret in eorum libro, tamen, quia & æquitate consentanea, & paci retinenda esset accommodatissima, omnino faciendum esse, quod illa præscribit.

Secunda ratio, quæ Reverendissimos movebat, ut Patres Societatis inducerent ad acquiescendum dictæ compositioni, ea fuit, quod dissensionis, de novo excitatæ, ipsi Professores Societatis auctores existissent, ac de ea re, ut supra diximus, ex ipsorum scriptis, ibidem prolatis, & lectis coram iisdem Reverendissimis, fuisse convicti. Nam Professor Theologus inter alia, quæ prolixissime contra doctrinam Facultatis de Gratia Christi docuit, & dictavit, ita de ea doctrina loquitur in t. 2. quæst. III. questione sua 4. propos. 2. probat. II. *Difficile est, ait, videre, in quo secundum rem hæc sententia differat a sententia Calviniana. Nam Calvinus dicit &c. Hæc vero opinio dicit &c. Quæ sententia duo in quo inter se secundum rem discrepent, certe non video*. Et ad mitigandam Censuram Duacensium, addit: *Dico SECUNDUM REM; quia scio, Calvinum aperte fateri, per gratiam tolli libertatem arbitrii, quod alii, utpote Catholici, non admittunt*. Physicus autem Professor in Tractatu de causis, sub nomine Calviniana, sententiam Facultatis per multas paginas oppugnat, & varie exagitat. Ac rursum Professor Theologus in dictato quodam extraordinario, ex illis Edicti verbis, *Super quibusdam sane doctrinis articulis, contendit, suam, & suorum doctrinam eo loco ab Illustrissimæ P. V. sanam appellari, videlicet contra totius Edicti sententiam, & scopum, qui est, neutram partem probare, vel improbare, sed totum judicium S. Sedi Apostolicæ integrum relinquere*. Quæ illorum Professorum temeritas merito severiorem aliquam coercionem, quæ imposterum ab hujusmodi peccandi periculo longius eos removeret, postulare visa fuit, & adhuc postulat; tamen, ut diximus, & ex ipsiis pacti verbis clare intelligitur, non imperio, sed

A a 2

sed sola (1) rationabili persuasione, erga eos usi fuerint Episcopi.

Tertia ratio. Quia, cum instituant juventutem in disciplinis inferioribus, eamque habeant admodum numerosam, magno studio id agunt, ut suis discipulis suas, vel suorum de Prædestinatione, Gratia, & Libero Arbitrio opiniones inculcent, & imprimant, maxime in classe Physica, thesibus etiam ad eam rem compositis, & excusis, & publice ad disputandum propositis; idque sane cum magno præiudicio studii Theologici, statim postea secuturi, nec parvo dispendio temporis, quod alijs, in illo disciplinae genere magis necessarijs, magisque probatis, doctrinis longe utilius impendi poterat. Ex qua re etiam compertum est, discipulos Patrum Societatis adhuc Logicos, aut Physicos, de dictis opinionibus, ex dictatis suorum Præceptorum, pugnaciter contendere cum nostræ Scholæ auditoribus, exemplo certe non bono, quo pueri jam incipiunt de difficillimis Theologiæ controversijs confidenter disputare, & audacter pronuntiare, & quod deterius est, Sacræ Theologiæ Magistrorum doctrinam aut contemnere, aut damnare. Quibus incommodis non aliud aptius remedium videtur, quam ut a talibus docendis Præceptores omnino abstinant.

Quarta ratio, Quia Patres Societatis, ex pacto ante annos 23. cum hac Universitate Duacensi inito, cuius exemplum mittimus, tantummodo admitti fuerunt ad docenda Pastoralia; idque simpliciter, & quantum requirit status simplicium Sacerdotum, & Curatorum. Hoc autem ut faciant, nihil opus est, ab ijs tractari subtiles controversias de Prædestinatione, Gratia, & Libero Arbitrio. Ac sane vehementer optat Facultas nostra, ut Patres ad illam docendi rationem, quam R. P. Maximilianus, vir vere pacificus, per annos plus minus viginti Theologus Collegii Societatis Professor, secutus est, revocarentur. Neque dubitat, quin longe major fructus ad Ecclesiam Dei rediret, simul & paci melius consuleretur, si ita facerent, relicta Facultati Theologiæ difficilliorum, & subtiliorum questionum, quales vel in primis sunt de Prædestinatione, Gratia, & Libero Arbitrio, tractatione; maxime cum illius pacti tunc quoque ea ratio Universitatem moverit, ut ab initio obtineretur, quominus aliquando evenirent incommoda, qualia nunc experimur.

Quod autem obijciunt exemplum Theologiæ Facultatis Lovaniensis, quæ non obstat, quominus Professores Societatis, Lovanii agentes, doceant de supradictis materijs, secundum suas opiniones, doctrinæ Facultatis contrarias; respondeamus, Lovaniensium, & Duacensium non eandem, neque parem esse causam. Quamvis enim prima ratio, a nobis allata, communis sit illis, & nobis, ut merito vel ob eam solam deberent Societatis Professores, juxta regulam supra memoratam, abstinere a doctrina, contraria doctrinæ Facultatis, tres tamen reliquæ rationes sunt huic loco, & causæ peculiare, ac propriæ: quod facile patet singulas consideranti.

Aliam præterea rationem Episcopi præ oculis habuerunt, haud sane negligendam. Metuerunt enim, ne, si tam contrarie, atque inter se dissidentes, de Gratia, & Libero Arbitrio opiniones in hac Universitate tradantur Theologiæ studiosis, qui aliquando Parochijs per ipsorum Dioceses præficiendi sint, magna deinde etiam inter ipsos Parochos, aliove Verbi Dei concionatores, non sine scandalo plebis, emergant dissidia,

(1) Al. sola amabili ratione.

& verborum contentiones, dum quisque ea, quæ a suo Professore hausit, vel cui magis favet, opinionem auditorio proponere, & ut in talibus contingit, animose defendere audeat. Quod malum non aliter melius præcaveri posse, existimant Reverendissimi Domini, [quam si ea sola de supradictis materijs doctrina in hac Universitate teneretur, quæ, jam inde ab initio institutæ Universitatis, ab omnibus Facultatis Professoribus, & inter eos nominatim ab Illustrissimo Domino Guilielmo Alano, nunc S. R. E. Cardinali, de Cathedra magistrali probata, tradita, & dictata fuit.

Ad hæc accedit, quod, cum Patres Societatis jam aliquoties pacto, a se approbato, & subscripto, contravenerint, prius quam Ordinario loci, juxta pacti formulam, ab ijs indicata esset improbatio suorum Superiorum (in quo plurali numero R. P. Generalem contineri, expressis verbis ab Episcopis declaratum fuerat) in penam illius temeritatis, compellendi videntur ab Illustrissima P. V., ut absolute deinceps pacto, & regulæ supradictæ se conforment. Nam pacto eos contravenisse, primo, quando per se, vel suos in Collegio Aquicinctensi (in quo professionem exercent) palam, & publice, ipso die Annuntiationis B. Mariæ, affixerunt picturam quandam Solis, omnia irradiantis; cum declaratione mysterii per carmina subijuncta. Dein, quando Professor Theologus expresse super 2. 2. S. Thomæ quest. 6. dicto 2. docuit, & dictavit quædam, aperte contraria doctrinæ Facultatis. Ac tertio, quando theses, totam fere suam doctrinam summam complectentes, in eodem Collegio disputandam, biduo ante Pentecosten novissimam proposuit, affixit, & defendit, ita ut Facultatem de tam manifesta pactum violatione conqueri, oportuerit, apud Illustrissimos, & Reverendissimos, Cameracensem, Tornacensem, & Atrebatensem: qui, partibus auditis, declarant, eos pactis adhuc teneri, quia nondum exhibita esset improbatio R. P. Generalis, & adhuc in posterum eas servare debere, donec sui Generalis improbationem exhibuissent. Qua quidem Episcoporum sententia audita, Professor Theologus, cum Patre Rectore discedens, ad nostros Deputatos clare, & animose dixit: *Vicissis habemus*; quasi videlicet pro victoria res ageretur, & non pro pace, & veritate. Et certe mirum valde est, quod Patres Societatis Collegii Duacensis ad dissolvenda pacta; quando ejus dissolutionem tantopere expectant, impetrare, & exhibere non curent sui Generalis improbationem, juxta clausulam ipsius pacti; sed magis recurrendum, sibi putent, modo ad Potestatem secularem, (quod quam recte fecerint, judicet Illustrissima P. V.) modo ad Illustrissimam, & Reverendissimam P. V., molestantes, & fatigantes eam sine causa, nosque immerito varijs criminibus gravantes. Quamquam si hæc, quæ nunc ad Illustrissimam P. V., pro concordia doctrinæ retinenda, perscribimus, R. P. Generali forent cognita, confidimus, nunquam fore, ut pactum illud, dictæ regulæ Societatis innixum, & tot rationibus factum, improbare in animum inducat.

Cum igitur, Illustrissime, ac Reverendissime Domine, iustissima fuerint causæ pacti, seu amabilis compositionis, quæ inter Facultatem Theologicam, & Patres Societatis Collegii Duacensis facta est, obnixè, & humiliter rogamus Illustrissimam, ac Reverendissimam P. V., ut novi sui Edicti, quo pactum, inter Facultatem nostram Theologicam, & Patres Societatis Collegii Duacensis

centis initum, rescinderetur, publicationi perfectæ vel ea de causa, quod pactum ipsum nunquam solemniter publicatum fuerit, ac vix paucis studiosis innotuerit: immo ne pactum ullo modo rescindere, aut dissolvere velit, quod, præter causas alias, etiam videretur interesse honoris Episcoporum, ne pactum, ipsorum hortatu initum, & conciliatum, & subscriptione firmatum, quoquo modo irriteretur; quin potius tam auctoritate sua, quam per Sanctissimum Dominum nostrum, hoc agere dignetur, ut, etiam si contingeret, pactum a R. Generali improbari, tamen propter multiplices rationes, superius a nobis allegatas, jubeatur Professor Theologus Societatis (qui in hac Universitate unicus est, eoque minus a tota Facultate, quæ auctoritate Sedis Apostolicæ constituta est, & in qua sunt quatuor lectiones quotidianæ, & quinta diebus dominicis, & Festis catechetica, in dogmatibus diffidere debet) non docere contraria doctrinæ Facultatis hujus Theologiæ, juxta tenorem Regulæ tertiæ, ex libro Rationis, atque Institutionis studiorum Patrum Societatis Jesu supra perlectæ. Ita maxime futurum, speramus, ut, oblite-

ratis injurijs, & studio contentionis amoto, pacem, concordiam, amorem, atque etiam amicitiam, (quod nobis est, & fuit semper in votis) Patres Societatis Jesu, & Facultatis Theologiæ Magistri invicem sincere ex animo colamus; congaudentibus omnibus bonis, & dolentibus, qui in circivito nostro sunt, hæreticis de fructu, & incremento Ecclesiæ, quæ ex hujusmodi doctrinæ, & animorum confessione, ac pia conspiratione erunt haud dubie expectanda, eo donante, qui omnia bonorum auctor est Deus. Quod si forte ampliorem declarationem de omnibus supradictis requirat Illustrissima, ac Reverendissima P. V., eam exhibere parati sumus, quandoque eidem Illustrissimæ P. Vestræ videbitur. Cujus benignitate super tota petitione nostra responsum, ac judicium, bona cum spe, & fiducia expectabimus; interim Christum Dominum deprecaturi, ut eandem Illustrissimam, & Reverendissimam P. V., ad Ecclesiæ nostræ Belgicæ salutem, & felicitatem, sui que nominis honorem, quam diutissime sanam, atque incolumem conferret. Duaci die 13. Augusti 1591.

I V.

RESPONSIO

Eximii D. M. N. BALDUINI RYTHOVII, Regii, ac Ordinarii S. Theol. olim Professoris in Alma Universitate Duacena,

Ad Joannis Deckerii de Societate Jesu.

APOLOGETICON. (1)

IN penultima ad Baccalaureatum Disputatione, defendentis sibi sumperat Respondens, præter alias, etiam duas propositiones hæc:

Electus Deus ex pura gratia, & non ex prævisis meritis, ad ostensionem misericordie suæ prædestinavit; & Omnis voluntatis conatus, & acceptatio gratiæ est a gratia, sine qua nemo Deo inspiranti consentit.

Evenit autem, & meministi, ut, dum illæ, de more Scholæ, impugnarentur, ego, qui tum forte Præses eram, in explicatione argumentorum dicerem, etiam Philosophiæ contrarium esse, voluntatem humanam a Deo, in agendo, non determinari; addideremque, cum illud ipsum privatum totidem verbis alicubi affirmassem, oppositum mihi fuisse ex dictatis cujusdam, esse eam communem antiquorum simul, & modernorum sententiam. Inspectis vero ijs dictatis, ac verbis D. Thomæ primo loco in probationem adductis, cum suo auctore collatis, deprehendisse me discrepantiam non minimam. Nam D. Thomam quidem sic habere: *Quia voluntas est actuum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet ejus motus contingens, & non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter movetur.* 1. 2. quest. 10. art. 4. Dictata autem in hunc modum: *Sic Deus ipsam movet, quod non ad unum determinat, sed semper maneat ejus motus indifferens ad multa.* Ubi in tam paucis verbis & subtrahit, & additio, & mutatio facta est. Recitabam præterea ex Commentarijs P. Benedicti Pererii Jesuitæ in Danielem, nuper Romæ primum

in lucem editis, quæ manifeste faciebant pro dicta positione de prædestinatione: idque tum ad ejus Theos confirmationem, tum vero, quemadmodum dicebam, ne nimium abriperemini in contrariam sententiam. Quæ recitavi, hæc erant ex lib. 15. ad illud cap. 12. *Stabis in forte tua*; id est, inquit, in parte, gradu, loco, & ordine beatitudinis, quæ tibi dabitur pro mensura meritorum. *Sævtem* appellat gratiam æternæ prædestinationis, qua Deus Sanctos elegit ad participationem æternæ gloriæ. Ea dicitur fors, quæ significat aliquid, non ex propria virtute, & facultate proveniens, sed quod incerto, & improviso contingit eventu. Sic gratia prædestinationis contingit electis, nullo ipsorum merito, sed gratuita solius Dei benevolentia, & charitate. Atque hæc significatione appellatur in Scriptura *foris Sanctorum*. Et prius eodem libro: Prædestinati, id est, inquit, sola Dei gratia, non ob prævisa eorum merita electi ad vitam æternam. Tertius locus prolixior est lib. 3. ad illud cap. 3. *Omnia judicia tua vera sunt.* Præterea in eadem disputatione, cum questum a quodam disputantium fuisset de sententia Illustrissimi Cardinalis Alani super causa prædestinationis, (cui interrogationi occasionem hoc dabat, quod Respondens illius viri in Academia Rhemeni discipulus, alumnusque fuisset) diximus & Præses, & Respondens id, quod res erat. Et paucis post diebus legi vobis ex Commentarijs ejusdem D. Alani in 1. Sentent., mea manu, illo dictante, descriptis, ejus sententiam nostræ prorsus conformem: addens, (quod fide digno testimonio mihi constabat) eundem a Cathedra Rhemeni ideo prohibuisse quof-

(1) Ad Cap. 5. Libri I. Hist. de Auxilijs.

quodam, quia contrarium, uti didicerant, docturi etiam fuissent. Denique recitavi P. Ludovici Molinae haec verba: *Neque vero dubito, inquit, quin ab Augustino, & ceteris Patribus, unanimi consensu probata fuisset haec nostra de Praedestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum Divina Gratia, Praesentia, & Praedestinatione, si ea proposita fuisset; dicens, mihi hoc ejus dictum mirabile videri; & subinferens, ignorasse D. Augustinum, & SS. Patres germanam de Praedestinatione sententiam, veramque rationem conciliandi Arbitrii libertatem cum Divina Gratia, Praesentia, & Praedestinatione.*

Decimo die, postquam haec facta fuere, D. Lector, ex Collegio Societ. Jesu Duacensi, in schola Aquinicensi suis auditoribus bene prolixam adversus praedicta omnia (tametsi non nisi de illegitima citatione, suppresso etiam nomine, notatus esset) dictavit Epilogium, a se, & compluribus aliis, ut ait, mature expensam: qua profertur quidem, nolle, se par pari rependere, sed notam tantum depellere. Facit tamen nimis quam manifeste, non mihi tantum vicem rependens reprehensionis, (quam juste, nunc intelligitur) sed Universitatis hujus Cancellarium Amplissimum virum, (1) praecipuo honore dignum, & primum S. Theologiae Professore, qui in sacrae disciplinae assiduo studio, & regimine Scholae Theologicae jam consuevit, nominatim sagillare, non est veritus, homo aetate juvenis, professione Religiosus. Qui sane, si pro defensione truncatae suae citationis verbo idoneam rationem reddere voluisset, depulisset a se notam, quae ei verbo erat adscripta, fidemque, & aetimationem suam vindicasset, modestia servata. Sed dum admonitioni super errore, peculiariter verbo factae, defensionem simul, & offensivam opposuit scripturam; quid aliud saltem imprudens egit, quam ut primarios in Ecclesia Dei viros, ac Magistros eorum, qui idonei erant et alios docere, ubique loquor, ac futuris etiam temporibus traduceret, deprimeretque? Quamobrem norunt una mecum complures ex vobis, quam hoc ejus Scriptum optimis quibusque in Universitate hac viris displicuerit; utpote quod longe abis ab iis, quae Auctor ejus sibi proposuerat, Christiana modestia, profectu studiorum, gloria Christi: quibus tamen viris, ne etiam hoc nostrum Responsum (triste licet, & dolenter meditatam) improbetur, sicut iusta de Scripto respondendi, quae nunc nobis, vel vestri inprimis causa, creata est necessitas, inprimisque ipsius Facultatis S. Theologiae, ita mandantis, ordinatio.

Ergo, quod primo loco dixerim, contra Philosophiam esse, voluntatem ad agendum a Deo non determinari, illi D. Lector, satis probant tam studiose ille, ac fusa, quae praecesserant, ea de re lectiones, quam ipsius Scriptum Apologeticum. Et certe, si culpandus venio, quia privatim eum de re palam gesta non monui, quanto magis ipse culpari dignus, qui, ut me praeteram, summum in hac Universitate Virum, quique hanc Scholam Theologicam ab anno 1566. pacifice, & sine contradictione alicujus, rexit, Scripto publico, nulla praemissione facta, aggressus est, reprehendere.

Sed defensionem truncatae allegationis videamus. Dicit primum, loco illo, quem mutilarat, utrumque docere D. Thomam, voluntatem non determinari, seu non esse principium determinatum ad unum, & non ex necessitate determinari a Deo. Dicit 2. posse idoneis testibus probare additionem.

Quod de truncata allegatione D. Thomae dixi, sic accipit D. Lector, quasi directe eum, ejusque lectiones impetere, voluerim; cum mihi propositum fuerit, errorem indicare. Memor, quod, non clam ante praemissionem, palam notam impigerim. Verum amore veritatis mihi in ejus Cathedra sedenti saltem proderet licuit: immo vero, ut ita facerem, officium meum, & multitudine, quae chartis errorem exceperat, utilitas, rei gravitas, ac praesentis tum disputationis materia postulabant. Aliud, mihi credite, hic non spectavi. Facile autem est videre, nec locum fuisse, nec fructum privatae communitio. Quod enim ad eam, publice admissum peccatum non correxisset D. Lector, satis probant tam studiose ille, ac fusa, quae praecesserant, ea de re lectiones, quam ipsius Scriptum Apologeticum. Et certe, si culpandus venio, quia privatim eum de re palam gesta non monui, quanto magis ipse culpari dignus, qui, ut me praeteram, summum in hac Universitate Virum, quique hanc Scholam Theologicam ab anno 1566. pacifice, & sine contradictione alicujus, rexit, Scripto publico, nulla praemissione facta, aggressus est, reprehendere.

Sed defensionem truncatae allegationis videamus. Dicit primum, loco illo, quem mutilarat, utrumque docere D. Thomam, voluntatem non determinari, seu non esse principium determinatum ad unum, & non ex necessitate determinari a Deo.

Dicit 2. posse idoneis testibus probare additionem.

mentum hoc (ex necessitate) fuisse a se verbo expressum; rationemque reddidisse, cur id dictatis intexere minime esset necessarium. Quod facere assuevi, inquit, quando Auditorum sententias in pauca colligo, variata interdum phrasi, aut substituto vocabulo aliquo clario.

Dicit 3. secundum D. Thomam, & veritatem, tantumdem valere, Non determinari ad unum, & Non ex necessitate determinari ad unum, si ve a Deo, si ve a quocumque diverso a voluntate. Ideoque saepe D. Thomam, & Cajetanum sine illo (ex necessitate) & absque omni additamento, dixisse, agens naturale (ut brutum) esse determinatum ad unum; liberum vero arbitrium non esse determinatum ad unum: & contra, voluntatem humanam, non ex necessitate, sed libere agere, quia illa non est determinata ad unum.

Dicit denique, quod, quando Auditores producimus, ipsorum potius sensum, quam verba attendere, par sit.

Respondeo ad primum horum, falsum esse, D. Thomam eo loco docere, voluntatem non determinari a Deo. Dicit, voluntatem esse actuum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa: quod indubitanter verum est. Sed, sicut inde non sequitur, quod non determinatur a se ipsa, quando operatur; ita nec sequitur, quod non determinatur a Deo. Unde nec D. Thomas hoc dixit, sed quod sic ipsam Deum movet, ut non ex necessitate ad unum determinet, id est, ut maneat motus ejus contingens, & non necessarius, ut D. Thomas ipse explicat. Significat ergo D. Thomas, quod Deus, voluntatem movens, eam determinet ad id, ad quod movet, licet non ex necessitate; quod patet etiam ex responsione ad 3. ubi dicit: *Quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est ponit, quod voluntas ad illud non moveatur.* Observare autem hic, Auditores, Lectorem falli, & fallere in eo, quod tanquam eadem ponat, & pro iisdem haberi velit, Non esse principium determinatum ad unum, & Non determinari. Animadvertere autem debuerat, illud esse materiae; hoc actualis ad agendum applicationis, seu a se, seu ab alio.

Ad 2. dico, rationem, cur hoc (ex necessitate), in dictando, fuerit omisum, fuisse hic addendam, praesertim cum verbo esset expressum. Dicit enim non potest, omisum causa brevitatis, cum & verbo expressum sit, & eadem opera dictari ad calumnam poterit, & vanum sit, in una dictione omissa, quae sine dubio ad rem, & sententiam facit, praeterea studium brevitatis. Itaque quis non potius (dum factum sic defenditur) malam fidem hic suspicabitur? Nam verbo dixisse, non excusat; quod enim solo verbo dictum est, evolat e memoria audientis, maxime si ita dictum est, ut significaretur, nihil ad summam pertinere, quomodo Lector ipse fatetur. Adde, quod dictata, vel transcriptione, vel alienatione libri, ad alios transeunte, qui, quid dictum fuerit, dum dictata primum exciperent, scire non possunt; ideoque simpliciter putant, D. Thomam hoc scripsisse, quod reperitur in dictatis.

Jam de 3. quod secundum veritatem duo illa tantumdem valeant, non probat. Tantum audeat dicit, ex terminis id liquere; quod manifeste falsum est; alioqui enim non tot doctissimi viri id negarent. Quare qui potest excusari a temeritate, immo falsitate, qui dicit, ex terminis id liquere? Ex Cajetano autem, ad quem hic remittit, quasi is dicat, ex terminis liquere, quod Determinari ad unum oppositorum, & Posse determinari ad utrumque oppositorum, e contra-

rio dividantur, desumpsisse id, videri possit; sed quam non apte, statim intelligitur. Quod vero secundum D. Thomam tantumdem duo ista valeant, nec hoc probat, neque prohibet unquam, nisi ostendat, D. Thomam suam sententiam, falsissime inculcatam, retractasse. Nam lib. 3. contra Gentiles, c. 90. cum sex rationibus ostendisset, voluntates, & electiones humanas subiectas esse Divinae providentiae, & quidem multo magis, quam actiones rerum corporalium; in fine intrer alia objicit sibi locum ex Damasceno, lib. 2. c. 30. dicente, quod ea, quae in nobis sunt, Deus praeficit, sed non praedeterminat: quod ita exponit D. Thomas, ut intelligatur ea, quae in nobis sunt, Divinae determinationi esse non subiecta, quasi ab ea necessitate accipiant. Eandem Damasceni sententiam eodem profus modo exponit 1. p. quaest. 23. art. 1. ad 1. Damascenus, inquit, nominat Praedeterminationem; impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quae sunt praedeterminata ad unum. His locis clare distinguit D. Thomas inter determinare, & determinare ex necessitate; & vult, Deum determinare, ac praedeterminare voluntates nostras, & electiones; non determinare, ac praedeterminare ex necessitate, id est, ita ut ille ex Divina determinatione, aut praedeterminatione necessitate accipiant. Quemadmodum autem D. Thomas dicit, quod Deus voluntatem non ex necessitate determinat, sic absolute dicit 1. part. quaest. 82. art. 2. voluntatem non ex necessitate determinari ad unum. Si ergo idem est, Non determinari, & Non ex necessitate determinari, ut D. Lector vult, sequitur, voluntatem simpliciter non determinari nequidem a se ipsa. Bene D. Thomas in quaestionibus disputatis, Quaest. de Volunt. art. 8. Sicut, ait, *omnis actio naturalis est a Deo, ita omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est a voluntate, ut immediato agente, sed & a Deo, ut primo agente, qui voluntatem imprimat.* Unde sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita & multo amplius Deus. Et Quaest. de Causa principali, art. 3. *Causa perficiens, & propria voluntatis actus (is autem nihil est aliud, inquit, quam inclinatio quaedam voluntatis in volitum) est solum id, quod operatur interior.* Hoc autem nihil aliud esse potest, quam ipsa voluntas, sicut causa secunda; & Deus, sicut causa prima. *Motus voluntatis directe procedit a voluntate, & a Deo, qui est voluntatis causa, & qui solus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare potest in quocumque voluerit.* Sic art. 9. prioris Quaestionis: *Solus Deus potest inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de uno in aliud, prout vult.* Et lib. 3. contra Gentiles, c. 88. *Solus Deus potest movere voluntatem nostram per modum agentis.* Ipse solus voluntatem nostram ad aliquid inclinare potest. *Solus Deus conjungitur anima intellectuali quantum ad sua interiora.* A solo ergo Deo potest motus voluntatis causari. In summa item sua 1. 1. quaest. 80. articulo 1. *Quod interior inclinatio voluntatem ad volendum, non est, nisi vel ipsa voluntas, vel Deus.* 1. p. quaest. 111. artic. 2. *Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem.* Hinc apparet, quam non recte hic a D. Lectore appollita sit illa clausula (sive a Deo) quod rursus ex his intelligitur. *Quamvis* (inquit c. 92. lib. 3. contra Gentiles) *solus Deus directe operatur ad electionem hominis, tamen actio Angeli operatur aliquid ad eam, per modum persuadentis.* Non semper homo eligit id, quod Angelus custodians intendit; semper tamen hoc eligit, quod Deus operatur in ejus voluntate. Et cap. 94. *Quocumque verum aliquid operatur, instrumentaliter agunt, ab eo movet.* Cap.

(1) Ampl. D. Matth. Boffemium, (2) Thomas Stapleton.

100. Omnia, quæ sunt post Deum, sunt quasi quædam instrumenta. In Quæstionibus autem disputatis de libero arbitrio, artic. 1. ad 5. distinguitur duplex instrumentum: unum, quod ita movetur ab altero, ut ipsum non habeat principium motus, quod quidem fit expertis libertatis; alterum vero fit quodcumque movens in genere, ab alio motum. Ab instrumento, sic accepto, non oportet, omnino excludi rationem libertatis, quia aliquid possit esse ab alio motum, quod tamen se ipsum movet. Et ita est, inquit, de mente humana. Et Quæst. de Causa principali, art. 3. Cum, ait, Deus sit primum principium motionis omnium, quædam sic movetur ab ipso, quod etiam ipsa se movens, sicut quæ habent liberum arbitrium. 1. 2. quæst. 6. art. 2. ad 3. Deus movet hominem ad agendum, sicut movens ipsam voluntatem, quia omnis motus tam voluntatis, quam nature, ab eo procedit, tanquam a primo movente. Et sicut non est contra rationem nature, quod motus nature sit a Deo, sicut a primo movente, in quantum natura est quoddam instrumentum Dei movens; ita non est contra rationem actus voluntatis, quod sit a Deo, in quantum voluntas a Deo movetur. 1. p. quæst. 105, docet, velle esse inclinationem in objectum voluntatis; inclinationem hanc esse Dei; Deum, inclinandum, maxime movere voluntatem. Equo apte Bonaventura in 2. distinct. 25. Omne liberum arbitrium immediate est sub Deo constitutum, hanc dignitatem habet, ut, in quantum liberum, soli Deo sit subiectum. Voluntas induci dicitur, quando aliqua persuasio fit, quæ disponitur, ut ad aliquod appetibile inclinatur. Mutatur eadem, quando, ipsa volente unum, potens virtute affectiva ei inmittitur ad contrarium, & de nolente fit volens; ita in una actio expellatur. & contraria inducatur, sicut patet, cum Deus de amore temporalium facti corundem contempserit. Cogi dicitur, quando intelligitur, ipsam invitam aliquid velle, & repugnante actu voluntatis deliberatione, aliena virtute manente, & repugnantia manente, ab aliquid, volendo, inclinari. Potest induci voluntas ad agente creato; mutari vero ab alio non potest, nisi ab agente increato; cogi vero ab aliquo non potest. Quod autem, ait, dicitur in Scriptura, Deum voluntatem hominis compellere, trahere, & ad quodcumque voluerit, inclinare, intelligitur hoc, non quia cogat, sed quia non solum inducit, veram etiam immutat, immitendo affectiones, &c. Ita autem voluntarie volo, inquit, illud, quod Deus immitit, sicut illud, quod ex me ipso volo, &c. Sed & Scotus in 4. dist. 49. quæst. 6. reprobat opinionem, quod voluntas creata non possit determinari a Deo, sic quod cum hoc remaneat libera. Catechismus Romanus ad 1. Articulum Symboli: „Deus, ait, universa, quæ moventur, & agunt aliquid, incitans virtute ad motum, & actionem ita impellit, ut, quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertineat.“ Ubi & notate præventionem. Plura non addo, quamvis plura non desint.

Jam cum Lector in tertia illa sua Responsione argumentatur ex testimoniis D. Thomæ, & Cajetani, nihil efficit. Absolute quidem dicunt illi, liberum arbitrium non esse determinatum ad unum; sed non dicunt, non determinari ad unum, quando agit. Cum enim dicitur, liberum arbitrium non esse determinatum ad unum, significatur, quod secundum se non est determinatum ad unum, sed indifferens ad utrumque oppositum, in quo distinguitur ab agente naturali, ut clare explicat Cajetanus ibico, a Lectore citato 1. p. quæst. 83. art. 1. Non attenditur, inquit,

ista differentia in hoc, quod quando agit, judicium liberum est indeterminate; quia, quando exit in actum, oportet, omne judicium esse determinatum ad unum: sed attenditur penes hoc, quando judicium brutorum secundum se non est indifferens ad hoc, & oppositum; rationalium vero sic. Potentia enim rationales se habent ad opposita; irrationales ad unum tantum oppositum. Et D. Thomas lib. 3. contra Gentes, cap. 73. Inanimata, inquit, secundum naturam suam sunt determinata ad unum effectum: voluntas non habet virtutem limitatam ad unum. Forma, per quam agit voluntarie agens, non est determinata: & propter hoc voluntas multiformes effectus producere potest. Quocirca quod Cajetanus eodem loco dicit, determinari ad unum oppositum, & posse ad utrumque, e contrario dividi; & art. 2. Naturale vocamus determinatum ad unum; item, aliquid est determinatum ad unum, aliquid indifferens ad hoc, & oppositum, & similia, prorsus accipienda sunt cum hujusmodi clausula, secundum se, ex seipsis, ex natura. Perperam ergo ex hoc discrimine colligit D. Lector, tantum esse, si dicitur, voluntatem determinari a Deo, quantum, si dicitur, illam esse necessitate determinari a Deo. Quod autem pugnantia non involvat, voluntatem determinari a Deo ad agendum, sed libere, quod male etiam putat Lector, & contra D. Thomam, quo nititur, satis item, opinor, jam assertum habemus. Explicatum autem videbitis apud D. Thomam 1. part. quæst. 19. art. 8. Vide etiam de prædicta distinctione agentium necessario, & libere D. Thomam in questione disputata de Demonibus, art. 5. Quæst. de Libero Arbitrio, artic. 2. & 1. part. quæst. 83. art. 1. quibus locis id clare explicat. Quod vero in hac eadem 3. defensionis parte duobus quibusdam locis D. Thomæ, quos ante annos plures citaveram, tanquam iis doceret, Deum determinare causas secundas, & in his voluntatem; & negat, hoc inveniri, sed tantum, quod Deus movet res ad operandum, & quasi applicet eorum vires ad operationem: Respondeo; Prior quidem loco docet D. Thomas, quod Deus est causa omnibus operantibus, ut operentur; quod omnis operatio virtutis ad operandum est principaliter, & primo a Deo; quod omnis motus voluntatis reducitur in Deum, tanquam in primum volentem; quod omnis operatio debet attribui Deo, sicut primo, & principali agenti; quod denique Deus principalis sit causa cujuslibet actionis, quam quilibet causa secunda. Et utitur Scripturis Isaia 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis, Dominus. Et Philipp. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere. Quæ omnia non constituunt, nisi determinet. Posteriori autem loco docet, quod Deus in omnibus intine operetur, & quod applicet res ad agendum: hoc autem est determinare. Sane, si Deus omnia operatur, ergo & ipsam operationem voluntatis. Et si omnia, quæcumque voluit, fecit; vult autem determinationem voluntatis nostræ: ergo eam facit. Si omnis motus voluntatis reducitur in Deum, tanquam primum volentem; volens autem est determinans: ergo reducitur in Deum, tanquam determinantem. Et certe hoc sensu D. Thomas utrumque locum intellexit: & inde explicavit hanc determinationem voluntatis P. Benedictus Pererius lib. de Rerum naturalium principis, cap. 8. & 9. citatus in Censura Facultatis nostræ. Non solum ergo docet duobus illis locis D. Thomas, quod Deus movet res ad operandum, & quasi applicet earum vires ad operationem, quomodo vult D. Lector; quamvis in posteriori loco, in corpore articuli,

dj.

dicat, quasi applicando, (quod non dicit, quia id non perfectissime Deus faciat, sed quia applicatio proprie est rerum corporearum) id ipsum tamen absolute dicit in Respons. ad 3. his verbis: Deus non solum dat formas rebus, sed & conservat eas in esse, & applicat ad agendum. Absolute etiam sic locutus est priore loco: & ideo non significat hic aliquid imperfectum, ut dicat, quod omnis applicatio virtutis ad operationem sit principaliter, & primo a Deo.

Ad 3. Respondeo, hic de sensu controversiam esse, ideoque verba ipsa recitanda fuerunt, sine subtractione ejus, quod maxime ad sensum indicandum pertinet, aut certe, quod negare D. Lector non potest, pertinere putatur ab iis, quorum doctrinam impugnatur. Unde patet, non bona fide actum esse, dum illud, in dictando, supprimitur, in quo adversarius maximam vim facit.

Ad Alanum, & Pererium quod attinet, simpliciter, & nude citavi propria tantum ipsorum verba de causa Prædestinationis. Quod quidem quinam primarii Viri, & quomobrem ita acceperint, quasi significare voluerim, Lectorem mala fide, eorum etiam auctoritate usum fuisse, non video. Revera tamen neutrius auctoritate sincere satis usus fuisse, videtur, & minime Alani; quia ob fragmentum thesibus sub eo, ut dici audierat, disputata, declavit sententiam de sufficienti, quod omnibus detur, auxilio, olim in Academia Duacena traditam, (quod verbum hic dissimulat) defensionem, & in lucem editam fuisse, nulla interim in dictatis facta mentione, vel quod audisset dumtaxat prædixisse Alanum, vel fragmenti Theses. Quo modo falluntur, qui dictata legunt; & quidem eo magis, quo constat, D. Alanum etiam hanc doctrinam improbare. Neque ignorat vel Lector ipse, Respondentes, contraria sententis Præsidum suorum, variis occasionibus, defendenda, suscipere.

De Pererio autem ita inquit: Eum numquam in testimonium vocavi, nisi in hoc uno, quod scribit 9. de Principiis rerum naturalium c. 13. motionem causæ primæ determinari, & modificari a secunda causa, licet idem Auctor (quod nec ego, inquit, tacui) lib. 8. cap. 8. & 9. alio modo etiam loquatur. Atqui non simpliciter alio modo ibi loquitur Pererius, sed determinationem voluntatis, quæ a Deo fiat, ex proposito tractat, explicat, firmiter asserit, & confirmat, dissolvit, quæ contraria videri possent. Alter locus ad verbum sic habet: Motio, & actio causæ primæ non recipitur in causa secundam conditionem causæ primæ, sed, secundum dispositionem causæ secundæ, determinatur, & modificatur. Sed statim subiungit: Causa secunda non movet, nisi mota a prima, hoc est, nisi concurrente motione primæ, per quam ipsa dirigitur, determinatur, & applicatur ad movendum. Quæ posteriora verba cum sint aptissima, & eadem cum iis, quæ dixerat lib. 8. cap. 9. viderit D. Lector, quomodo priora, quæ pro se citavit, interpretari debeat. Vos, Auditores, consulite hic etiam D. Thomam in Questione disputata de voluntate Dei, art. 5. & 1. p. q. 19. art. 8.

Pro Molina dicit primum: Eius spectatam eruditionem, & modestiam, Scriptis ipsius luculenter testatur, Operisque per Sacram Inquisitionem Lusitanicam approbationem, ab omni eum calumnia liberare.

2. Molinam non asserere sententiam suam, quam Lector nunc se quoque amplecti declarat, ab Augustini sententia discessisse. Imo his ipsis locis, ubi Molina sermo mihi mirabilis visus sit, adjunxisse eum, multa quoque D. Augustinum variis locis in hanc sententiam docuisse.

Serry Tom. II.

Dicit 3. ambigi non posse, quin Ecclesia magis, magisque in dies, tanquam aurora confurgens, proficiat in sapientia.

Quin item multa a B. Thoma, Bonaventura, cæterisque Doctoribus solerter inventa, sapienterque excogitata sint, quæ si Augustino, cæterisque Patribus propolita fuissent, mirifice & probassent, & prædicassent.

Ad horum (quæ paucis expediam) primum, ut de eruditione taceam, dico, etiamnum videri mihi, nullam verbis Molina, a me recitatis, modestiæ, sed præsumptionis magis, jactantiæque subesse speciem. Inquisitio porro proprie instituta est contra hæreticam privitatem: de aliis non exacte inquirunt. An autem, quia unus Deputatus Sacre Inquisitionis, ac librorum Censor testatus est, in Opere Molina nihil a se animadvertum esse, quod nostræ Religioni adversetur &c. ideo nihil in eo est, quod ullo nomine mirari, aut improbare, quisquam possit citra calumniam?

Ad 2. verba Molina, quæ initio recitavi, non obscure significant, incognitam D. Augustino, & cæteris Patribus fuisse doctrinam suam de Prædestinatione, deque ratione conciliandi libertatem Arbitrii cum Divina Gratia, Præscientia, & Prædestinatione. Dicit quidem Ludovicus Molina, multa D. Augustinum variis in locis docuisse, in quibus eum modo loquendi aliorum Patrum videatur omnino consentire, citaque unicuique locum, qui tamen non est Augustini. Sed quid ad rem? Patres enim inter se consensisse, & eodem nescisse doctrinam Molina, cognitam tamen amplexuros fuisse, an eodem pertinet?

Qui doctrinam, quam Lector sequitur, primi in lucem protulerunt, non hoc putarunt, quod ipse, suam nempe sententiam esse quoque Augustini; sed ingenue professi sunt, se ab Augustino recedere. Estque, ubi hoc non distat Lector Societatis Jesu Collegii Lovaniensis.

Ad 3. dixerim, in doctrina fidei, & quæstionibus de rebus præcipuis, inhærendum esse Traditioni antiquitatis; vitandam autem novitatem, Depositi custodiendum, non contradicendum depositoribus. Non enim proficere potest Ecclesia, dum docentur contraria sententis Patrum: id, quod D. Thomas, & Bonaventura, & optimi quique Doctores studiose cavent. De profectu autem Ecclesiæ in sapientia, & profectus qualitate, videte differentem Vincentium Lirinensem in libello adversus hæreses.

Quod postremo dicit, non videri reprehensionem obnoxium, quod Molina dixit: Non exorturam forte fuisse Pelagianam hæresim, si ratio conciliandi libertatem Arbitrii cum Divina Gratia, Præscientia, & Prædestinatione, a se tradita, semper data, explanataque fuisset, id quidem aliter ejus sermone simile est, sed a me nondum citato, necdum reprehensio; quare non necesse habeo respondere. Existimo tamen, quisquis sanum iudicium adhibuerit, ei etiam hoc præsumptuosum visum iri. Quis enim toleret dicentem de sua, & nuper excogitata ratione explicandi præcipuam aliquam in doctrina fidei difficultatem: si hæc ratio semper tradita fuisset, forte illa, vel illa hæresis tali, aut tali Catholicæ doctrinæ contraria, nunquam fuisset exorta? Præterquam quod tali sermone notantur non obscure SS. Patres, quasi mentem, fidemque suam non potuerint explicare, & quasi rationem illam conciliandi, quæ hæreses averti, aut in ipsis principis extingui poterant, non viderint illi, qui ad debellandas eas divinitus excitati fuerunt, ut fuit profecto Augustinus, ad Pelagianam quod attinet. Honorificentius ad dignitatem Sanctiorum Patrum, S. Martyr Edmundus Campianus in libello 10. Rationum, Ra-

B b

110